



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IV. Quæ videantur impugnare partes & puncta realia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

mus: ergo negari nequit, illas vniones non solum secundum quid, sed absolute & simpliciter fuisse infinitas, alias possent finiri, & tunc venires ad sententiam Zenonis, de qua infra.

- 30 Hoc argumentum immediatè probat de vnionibus, quia illa sunt quæ auferuntur seu corrumpuntur, dum diuiditur continuum; sed inde clare infertur etiam de partibus, quia quilibet vnio coniungit distinctam partem, *Vniones sunt infinitæ, ergo & partes*. Et quidem ipsi aduersarij secundam hanc consequentiam reputant bonam, nec ferè ei potest aliquid responderi, nisi vocum & terminorum multiplicatione confundendo questionem.

Respondebis fortè, continuum posse successiue absolui, si destruantur partes determinatæ. Sed contrà, quia ego iam non contendo, partes determinatas esse infinitas, sed solas proportionales, & hoc clarè probatur argumento facto. Et ne terminis rem mihi confundas, voca partes determinatas, voca indeterminatas, dic quod velis, hoc saltem asseris, si Angelus continenter dissoluat continuum, non posse vquam finiri, ergo ibi sunt vniones auferibiles, & partes dissolubiles categorematicè & simpliciter infinitæ propter

- 31 argumentum supra factum. Iam autem tu videris, quomodo ea infinitudo partium & vnionum (quandoquidem vna vnio est extra aliam vnionem, & pars extra aliam partem; non enim penetrantur inter se) quomodo, inquam, non faciant infinitam simpliciter magnitudinem: concessa enim hac infinitate, non parum vrgentur Aristotelici à Zenonistis, qui idèò enixè conatur ostendere, non esse simpliciter infinitas, sed tantum secundum quid, vt initio obseruauimus.

- 32 Vrgo ad hominem, argumentum, quo aliqui ex ipsis vtuntur: docent enim infinitum syncategorematicum secundum id quod habet, simpliciter esse finitum, & solum secundum ea quæ potest habere dici infinitum, & quia ea quæ potest habere, numquam actu habet, idèò non esse infinitum simpliciter. Hæc illi, & benè: ex eis autem probo manifestè, continui partes esse categorematicè & absolute infinitas; quia vnitates, seu puncta, seu partes in continuo non dicuntur infinitæ, eò quod palmo possint plures & plures partes addi, sed ratione earum quas actu in se habet, ergo est categorematicè & simpliciter infinitum, & malè illi applicatur infinitudo syncategorematica.

- 33 Vrgo ex iisdem. Cum enim argumentantur contra eos, qui dicebant, homines possibiles esse infinitos secundum quid, ita ratiocinantur: Illi homines secundum statum possibilem vel sunt infiniti categorematicè, id est, inter illos non est primus & vltimus, & sic habetur intentum; vel sunt syncategorematicè infiniti, & sic erunt in statu possibili finiti, & habebunt primum & vltimum, & solum secundum additionem possibilem erunt infiniti, quod est terminis hallucinari. Hæc illi, & benè, quæ ego eodem modo contra illos applico. Rogo enim, an partes per diuisionem & subdiuisionem separabiles ab ipsa charta, sint categorematicè infinitæ, & tunc teneo intentum: si verò syncategorematicè solum, ergo habent primam & vltimam, & solum sunt infinitæ secundum additionem possibilem; quod est terminis hallucinari. Nam partes chartæ non di-

cuntur infinitæ propter alias quæ possunt ei chartæ addi, sed ab his quas actu in se includit, ergo habet partes actu categorematicè infinitas.

Ostendo autem iam, etiam partes determinatas, quæ sunt in hac charta de facto, categorematicè & simpliciter infinitas: si enim Deus diuidens chartam hanc, illius medietatem post cælum empyreum proiceret, & rursus medietatem medietatis, argumentor sic: In hoc continuo sunt actu infinitæ partes hoc modo proiciibiles post cælum empyreum, sed partes hoc modo proiciibiles sunt determinatæ, ergo hæc sunt partes actu determinatæ infinitæ. Consequentia est euidentis. Maior est tua doctrina: quia, si Deus semper diuidat & proiciat post cælum, in perpetuum habebit partes diuidendas & proiciendas per totam æternitatem, ergo sunt infinitæ actu, alias exhaustirentur (vt supra de indeterminatis argumentabar.) Et declaratur amplius exemplo: si ex vna bursâ in perpetuum sine fine possent nummi extrahi, etiam si vnus minor alio, euidentis est natura lumine, ibi debuissè fuisse infinitos numeros. Repete, quæ supra dixi, ad probandam infinitatem partium proportionalium. Venio ad Minorem, quæ adhuc est certior: quia quælibet pars quæ proicitur, necessariò debet esse determinata, quia indeterminatum non potest tangi, signari, nominari, &c. sunt ergo determinatæ & determinatissime, ergo actu in hac charta dantur partes determinatæ infinitæ, licet actu vnitate inter se. Et licet vna sit minor aliâ, quod parum interest ad multitudinem infinitam, dummodò omnes sint determinatæ, signabiles, tangibiles, &c. vt ostensum est. Certè hoc argumentum videtur, persuadere intentum, si quod aliud euidentis esse potest.

SECTIO IV.

Quæ videantur impugnare partes & puncta realia.

MIRVM est quantas obscuræ questionibus addiderit tenebras sententiarum varietas, vel (vt propriè loquar) in quot & quales omnes Philosophos non diuiserit sectas difficultas sententiarum.

Quidam ergo ex his qui Aristotelis sententiam sequuntur, admittunt in continuo partes, & puncta extra eas partes, quæ sunt vel continuatiua, vel terminatiua partium. Ita P. Suarez Disputatione 4. Metaphysicæ, sect. 5. vbi multos alios pro eâ refert. Hi autem sequentes patiuntur difficultates. Prima, quia si punctum additum parum facit maius, ergo additum puncto etiam faciet maius, & corrumpet argumentum quo ipsi vtuntur contra Zenonistas, desumptum ex eo quod punctum additum puncto non facit maius. Sequela probatur euidenter, quia, si punctum A v.g. non potest tangere punctum B, nisi tangat illud totum, idèòque debet penetrare illud, & consequenter non facit maius; ita etiam pars non potest tangere punctum, nisi tangendo totum punctum, & consequenter nisi occupando locum puncti, ergo punctum non facit maius cum parte. Quod si illa indiuisibilia propter hoc argumentum dicantur esse intra omnes partes, Contrà euidenter Primò, ergo illa penetrant partes; ergo, cum sit ibi